

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Pontano

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

stra ad R.P.V. deferimus. Quare ut propter nos aliquid ad beneuolentiam erga hunc Petrum addat R.P.V. etiam atq; etiã oramus. Bene ualeat R.P.V.

Cæsario S. D.

Commendo tibi hunc iuuenem, mi Cæsari: teq; rogo, ut eum pro tua humanitate summa amplecti uelis. Magnopere enim cupit se in amicitiam ingeri, ut eruditissimis & suauissimis sermonibus tuis frui tantisper possit, dum isthic erit. Verè se in Academia aliqua interim esse putabit, si id ei contingerit. Dabis ueniam breuitati literarum. Nam hoc tempore rarò studia quidem mea me delectant, qui bus alioqui nihil habeo iucundius, *ὡς ἀνάστα ἀντιφιδέει μὲ ὡς ἀπὸ εἰώθης*. Vale.

Pontano.

Etsi nihil noui est, (nam urbs Dei beneficio tranquilla est) tamè cùm diutius nostra opinione abes, dedi has ad te literas, ut interim haberes meæ diligentiae specimen. Nos Dei beneficio rectè ualemus: et Deum precamur, ut tu quoq; felicissimè ualeas, & quàm primùm saluus & incolumis domum redeas. Nihil enim nobis tua salute prius aut antiquius est. Atq; hoc quidem tempore magis te requirimus: nec sineremus te à nobis diuelli in his periculis, nisi te Respublica auocaret: cui quoniam seruis, *ἴππο*

spero Deum, qui hæc à te officia requirit, defensurum te esse. Idq; ut faciat, eum ex animo precamur. Vale.

Iacobo Micyllo S.

V. p. 229.

Cum polliceretur Princeps se scholam cõfirmaturum esse, uidebam nobis in primis opus aliquo, qui non infœliciter carmen conderet, ut ad illius imitationem se comparent adolescentes eloquentiæ candidati. Nam mihi quidem de nullo disciplinarũ genere rectè iudicaturus uidetur, qui poetice non attigit: uideoq; in soluta oratione scribèda frigere illos, qui non degustarunt poticen. Porrò genus uersuum tuorum semper unicè amaui. Quare de te accersendo diligenter agebam, cupiebamq; ea in re publicis literarum studijs consulere, quibus in hac frequentia nostræ scholæ te nonnihil opis afferre posse arbitror. Nam Francofordianæ scholæ suffecerit aliquis plebeius lector. Verè iurare possum, hoc unum mihi in consilio esse, cur te in Saxoniam redire tantopere cupiam. Vides autem mi Micylle, quanto in discrimine sint nostræ literæ, nisi summa ope à tuis similibus defendantur. Quare te iterum per quicquid possum, perq; hunc literarũ statum rogo, ut si honestè queas, commigres ad nos. Nam quod excusas, uereri te ut sit ad prælegendũ satis magna extemporalis facultas, uerecundè tu quidem: sed nos non tam prælectionis causa te accersui-

z cersui-